



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CII. Ioannis Papae VIII. Ad Mironem Et Hyncfridvm Fratres.
Mironem & Huncfridum multorum scelerum reos ad Synodum venire iubet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CI.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HINCMARVM RHEMORVM ARCHIEPISCOPVM.

Vt ad Synodum Trecensem absque mora cum
suffraganeis suis veniat.

Hincmaro venerabili Rhemorum episcopo.

FAMA tuæ fraternitatis longo exacto iam tempore bo-
na notitia nos quoque celeberrime lætificauit: quanto-
que te desiderio contemplari cupimus, explicare ver-
bis nullatenus possumus, præsertim cum causa exigendæ v-
tilitatis ecclesiasticæ petere has partes decreuerimus. Qua-
propter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ diu deside-
ratam miramur a te nobis haetenus dilatari. Vnde aposto-
lica atque paterna auctoritate monemus, ad Synodum
præsentem, quam Deo auctore Trecis sumus celebraturi,
absque mora cum cunctis suffraganeis dicæcseos vestræ
studeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum ite-
rumque hortamur omni postposita tarditate quantocius
properate venire, quoniam antequam ipse nobis carior at-
que utilior veneris, sanctorum Dei ecclesiarum causas
tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras,
& satage properare celerrime, atque agiliter. Data vt
supra.

EPISTOLA CII.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MIRONEM ET HVNCFRIDVM FRATRES.

Mironem & Huncfridum multorum scelerum reos ad
Synodum venire iubet.

Mironi & Huncrido germano suo.

QVANTA ad apostolatum nostrum relatione quorum-
dam transgressionum vestrarum mala atque peruersa
fuerunt nuntiata, hæc fateor lacrymabiliter nominamus,
apostolicaque auctoritate citissime corrigenda iubemus, si
sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequi-
tia tuæ ab omniconsortio Christianitatis separari, & infer-
ni flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram

R iii

134 IOANNIS PAPÆ VIII.

vniuersam redegisti in solitudinem : ecclesias , vt afferunt , ministris exspoliasti : castella ipsius terræ callide ac fraudulenter inuasisti . Quia compulsi necessitate homines Bernardi gloriosi marchionis , cum multitudine hominum tuæ rabiei occursando , aliqua in eadem terra perperam egerunt : vt velut Ieroboam filius Nabath , qui peccauit & peccare fecit Israel , auctor omnium peccantium existas . Ideoque ad vniuersalem Synodum nostram , quam Deo auctore in proximo sumus celebraturi , Lugdunum venire te occasione omni postposita volumus , si funditus , vt dictum est , non vis gladio diuino multari . Lindoinum quoque vicecomitem audimus potestate , vti horrende denuntio , vti sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis archiepiscopi , presbyterosque tuos in eius exteris subrogare ecclesias . quod concite tuæ vitæ consulentes corrigere & emendare mandamus . Te vero Huncfridum ex diaconatus officio , & venerabili monachico habitu , apostamat audimus & dolemus effectum . Quapropter vel sera te poenitentia per Domini misericordiam libera , & ad monasterium quanto citius confuge : vel si de tua confidis conscientia , ad Synodum nostram de illatis tibi atque obiectis te purgandum occurre : ne si prætermiseris , anathematis vinculo , vt pote apostata & rebellis , alligeris . Data vt supra .

EPISTOLA CIII.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD ROSTAGNVM ARCHIEPISCOPVM
ARELATENSEM.

Vt ad Synodum cum suffraganeis suis quamprimum veniat .

Rostago venerabili archiepiscopo Arelatensi .

QVIA omnipotentis Dei miseratione vniuersalem Synodum sumus celebraturi in proximo , te , omnesque tuos coepiscopos suffraganeos , volumus , auctoritate apostolica admonemus , expresseque mandamus , ad hanc omni postposita occasione quantocius præsentare , exceptis eis obstaculis , quibus remorandi licentiam sacri Canones tribuunt . Alias , quod non optamus , quicumque se a tan-